

## Resources for Latin Recitation Contest CCLE Grammar

### *Credo*

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium.

Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis.

Et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est.

Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato; passus et sepultus est, et resurrexit tertia die, secundum Scripturas, et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris.

Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis.

Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem; qui ex Patre Filioque procedit.

Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur; qui locutus est per prophetas.

Et unam sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Amen.

### *Te Deum*

Te Deum laudamus: te Dominum confitemur.

Te aeternum Patrem omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli; tibi caeli et universae Potestates.

Tibi Cherubim et Seraphim incessabili voce proclamant:

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt caeli et terra maiestatis gloriae tuae.

Te gloriosus Apostolorum chorus;

Te Prophetarum laudabilis numerus;

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia:

Patrem immensae maiestatis; Venerandum tuum verum et unicum Filium;

Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriae, Christe.

Tu Patris sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum.

Tu, devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna caelorum.  
Tu ad dexteram Dei sedes, in gloria Patris.  
Iudex crederis esse venturus.  
Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.  
Aeterna fac cum sanctis tuis in gloria numerari.  
Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic haereditati tuae.  
Et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.  
Per singulos dies benedicimus te.  
Et laudamus nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi.  
Dignare, Domine, die isto sine peccato nos custodire.  
Miserere nostri, Domine, miserere nostri.  
Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te.  
In te, Domine, speravi: non confundar in aeternum.

### *Decem Praecepta*

*Primum praeceptum.* Non habebis Deos alienos.

*Quae est huius praecepti sententia?* Debemus Deum supra omnia timere, diligere et illi confidere.

*Secundum Praeceptum.* Non assumes Nomen Domini Dei tui invanum.

*Quae est huius praecepti sententia?* Responsio: Debemus Deum timere et diligere, ne per nomen eius imprecemur, iuremus, incantemus, mentiamur aut dolis fallamus, Sed in omni necessitate illud invocemus, adoremus et cum gratiarum actione laudemus.

*Tertium Praeceptum.* Memento ut diem Sabbathi sanctifices.

*Quae est huius praecepti sententia?* Responsio: Debemus Deum timere et diligere, ne divinos sermones et eius verbum contemnamus. Sed ut sanctum reputemus, libenter audiamus et discamus.

*Quartum Praeceptum.* Honora patrem et matrem, ut bene fit tibi et sis longaevus super terram.

*Quae est huius praecepti sententia?* Responsio: Debemus Deum timere et diligere, ne Parentes et Dominos nostros contemnamus neque ad iram commoveamus. Sed honore afficiamus, illis serviamus, morem geramus, amore eos prosequamur et magnificiamus.

*Quintum Praeceptum.* Non occides.

*Quae est huius praecepti sententia?* Responsio: Debemus Deum timere et diligere, ne vitae proximi nostri incommodemus aut aegre faciamus, Sed illum adiuvemus et promoveamus in omnibus vitae et corporis necessitatibus et periculis.

*Sextum Praeceptum.* Non moechaberis.

*Quae est huius praecepti sententia?* Responsio: Debemus Deum timere et diligere, ut caste et pudice vivamus in verbis ac operibus et unusquisque suam coniugem amet ac honoret.

*Septimum Praeceptum.* Non furtum facies.

*Quae est huius praecepti sententia?* Responsio: Debemus Deum timere et diligere, ne proximo pecuniam aut bona auferamus, neque falsis mercibus aut impostura ad nos pertrahamus. Sed demus operam, ut illius opes conserventur et eius conditio melior reddatur.

*Octavum Praeceptum.* Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

*Quae est huius praecepti sententia?* Responsio: Debemus Deum timere et diligere, ne proximum falsis mendaciis involvamus, prodamus, traducamus aut infamia aliqua afficiamus. Sed illum excusemus, bene de eo sentiamus et loquamur, et omnia in meliorem partem accipiamus et interpretemur.

*Nonum Praeceptum.* Non concupisces domum proximi tui.

*Quae est huius praecepti sententia?* Responsio: Debemus Deum timere et diligere, ne haereditatem vel domum proximi dolo malo captemus et sub specie iuris et recti nostris facultatibus adiungamus: Sed potius eum iuvenimus, ut suas fortunas retineat integras.

*Decimum Praeceptum.* Nec desiderabis uxorem eius, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia, quae illius sunt.

*Quae est huius praecepti sententia?* Responsio: Debemus Deum timere et diligere, ne proximo uxorem, servos, ancillas vel pecudes abalienemus aut abstrahamus. Sed illos adhortemur et urgeamus, ut maneant et suum officium diligenter faciant.

*Quid autem summam dicit Deus de his praeceptis omnibus?*

Responsio: Sic dicit Exodi 20: Ego, Dominus, Deus tuus, sum fortis zelotes, visitans iniquitatem partum in filios in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me, et faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me et custodiunt praecepta mea.

*Quae est verborum sententia?*

Responsio: Deus minatur poenam omnibus, qui ista praecepta transgrediuntur et violant. Debemus itaque expavescere et timere iram Dei et nihil contra huiusmodi praecepta facere: Rursus promittit etiam suam gratiam et omnia bona omnibus, qui mandata illa observant. Merito igitur debemus Deum diligere et illi confidere et iuxta mandata eius omnem nostram vitam sedulo et diligenter instituere.